Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2667

Quelle:
Copyright:

opera terribilia fienda propter iniquos &c. Gloſſae *Bohemicae* hinc inde inſperſae horum Sermonum patriam produnt.

DCCI.

534 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 176. 4. charactere craſſo perſcriptus *Sermones* ſacros continet *in Epiſtolas et Evangelia* a *Paſchate* usque ad *Pentecoſten* in Eccleſia legi ſolita, Evangeliis integris non raro praemiſſis. *Sermo* Primus ita exorditur: *Hodie in hac magna et glorioſa ſollennitate celebramus et recolimus, et det deus omnipotens quod ponderoſe et deuote recolamus illam glorioſam domini ſaluatoris noſtri reſurrectionem* &c. Gloſſae *Bohemicae* frequenter inſperſae et totus *Codicis* habitus verſimile faciunt, eum quoque olim *Wenceslai Roſſii* Bibliothecam auxiſſe.

DCCII.

535 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. nunc 182. 4. medio concerptus et fine mutilus, ejusdem cum praecedente habitus, et, ut puto, Poſſeſſoris, continet *Sermones* ſacros in complures *Dies feſtos*, initio ducto a Feſto *Thomae* Apoſt. hoc tenore; *Thomas vnus de duodecim qui dicitur didimus. Joh. XX°. Pueri dilecti hodie ſancta mater eccleſia celebrat feſtum* &c. Itaque catechetica eſt Dictio. Adſunt Sermones de SS. *Vito*, *Procopio* et *Ludmilla*, et praeter Gloſſas *Bohemicas* paſſim inſperſas *fol.* 39. p. 2. Sermo integer *de Purificatione* B. V. M. hac lingua comparet. Rarior fortaſſe Sermo latinus eſt, *fol.* 124. inſcriptus *Marie niuis.*

DCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 536 XV. Folior. 197. 4. luculente exaratus continet: I. *Sermones* ſacros ab initio *Quadrageſimae* usque ad *feriam III. poſt Paſcha.* Initium *Sermonis* I. *in capite Jejunij* eſt: *Sancta mater eccleſia iam iſto tempore quaſi ex ſompno populum excitat ad penitentiam* &c. In his *Sermonibus* Orator non continuo, ut mos, ad exponendum Diei *Evangelium* adgreditur, ſed quaedam in *Epiſtolam* praefixam commentatur. Non deſunt Gloſſae *Bohemicae.*

II. *fol.* 156. absque Titulo Inſtitutiones de Fide et Symbolo Apoſt. de Praeceptis Decalogi, Oratione Dom. Peccatis novem alienis, octo Beatitudinibus, Peccatis mortalibus, de Creare, de Credere, de Remiſſione Peccatorum, Obedientia, Excommunicatione et Simonia. Initium: *Cum quilibet chriſtianus vſum rationis retinens tenetur deum ſuper omnia diligere* &c. Priores tres Articuli, neque hi quidem integri, exhibentur in *Opp. Joh. Huſſi* edit. 1715. P. I. p. 38. tanquam in Carcere *Conſtant.* ab eo conſcripti. Igitur dicendi erunt Editores mancum Exemplar nacti fuiſſe, Lectorique ſuborietur dubium, an, quod ajunt de Carcere

Con-